



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Blasphemiae Et Impietates Seditiosaq[ue] dogmata  
Ioannis Meynertzhagen pseudo ecclesiastæ apud  
Bonnam, ex libello que[m] inscripsit, Des Euangelischen  
Bürgers Handtbüchlin. Hoc est, Enchiridion ...**

**Erzdiözese Köln**

**[Köln], [1544]**

**VD16 K 1773**

In Dogmata Ecclesiastica.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34979**

## IN ECCLESIAM.

Ridet qđ sanctam Ecclesiam Dei, matrem nostram appellamus. Negat tale quid se in Scriptura legisse. Detestatur eos qđ dicunt, Mater nostra sancta Ecclesia hoc aut illud præcepit, instituit, docuit aut ordinavit, quod obligati sumus servare sicut Dei mandatum. li. 2. f. 55. fa. 1. Detrahit Ecclesiæ Romanæ, Ecclesiæ Catholicæ principatum, & nihil referre putat ea agnoscat nec ne. lib. 2. fol. 51. & 2. Petrum Papam Romanæ Catholicæ Ecclesiæ fuisse inficiatur. lib. 2. fol. 68. fac. 1. Catholicas Ecclesiæ traditiones nihili ducit. uide sex priora folia lib. 1. & fol. 16. fa. 2. Nuda Biblia habunde sufficere asserit. li. 1. fo. 5. & 29.

## IN DOGMATA ECCLESIASTICA.

Solam fidem omnia efficere, in prohemio lib. 2. fol. 2. Solam fidem saluare, opera uero non esse necessaria ad salutem: nec propterea facienda esse ut salui fiamus, sed tantum in gratiarum actionem. lib. 1. fol. 14. fa. 1. & lib. 2. fol. 45. fa. 1. & fol. 48. fa. 2. Quod solius infidelitatis, non peccatorum ratione condemnemur. lib. 2. fol. 126.

Quod a Deo nihil gratiæ per bona opera promereri quis possit. lib. 2. fo. 106. fa. 2. Nullius Sancti precibus sententiam Dei mitigari posse. Confundit iustificationem quam adipiscimur in baptismo, cum reparatione lapsorum in grauius crimina. lib. 2. fo. 10. fa. 2. & fo. seq. Item folio 50. fa. 2. & 25. fa. 1. & 82. fac. 2.

Pœnitentiam constituit in sola agnitione peccati. lib. 1. fol. 29. fa. 2. Ridet Purgatorium animarum post hæc mortem. lib. 2. fol. 86. & 116. Remissa culpa simul remitti omnem pœnam. lib. 2. fol. 125. fac. 2. Votum perpetuæ castitatis inane & irritum esse. li. 2. fo. 45. fa. 2. Negat statum Virginalem præstantiorem seu sanctiorem esse statu Coniugali. fol. 97. lib. 2. fac. 2.

## IN SACRAMENTA.

Abominatur Missam. lib. 2. fol. 45. fa. 2. & 46. fa. 1. & 72. fa. 1. & seq. Quamlibet enormiter criminofum uult accedere debere ad Communionem: tantum si eum pœniteat deliquisse, sine ulla præcedente satisfactione Ecclesiastica, per ieiunia, & similia pia opera. fol. 32. fa. 1. Asserit neminẽ esse obligatum ad confitendum sua peccata. fo. 34. fa. 2. Ridet & subannat sacramentum Vnctionis infirmorum. fol. 35. fa. 2. Non numerat inter sacramenta Ordinem sacrum, nec discernit inter Ecclesiasticam administrationem & secularem potestatem. fo. 74. fa. 1. Nec itidem inter sacramenta numerat sacramentum Confirmationis, & Matrimonij.

## IN STATUTA ET MORES ECCLSIÆ.

Catholicæ.